

1538 *tos, paulatim viribus, ac pecunia exhaustos, opprimat. Sed, nondum inter Carolum, & Franciscum pace sancita, gliscen-
tibus animo veteribus odiis, nil egregii in communem hostem
ex fœdere proficisci poterit: immutato rerum statu, ad fœdus
percutiendum non adstringimur. Quis porro aut Romæ, aut
Venetiis id unquam objecit? quis ea conditione pacisci dicere
ausus est? Sed neque prorsus de concordia Principum spes ce-
cidere; adhuc res agitur; neque Pontifex, neque Respublica
pro communi bono quidquam prætermittit. An vero vires, ac
potentiam Caesaris adeo imminutas censemus, ut ad utrumque
bellum gerendum, si ita opus sit, sufficere non possint? Id cum
multa, tum illud præcipue testatur, quod superioribus annis
Africanam expeditionem molitus, in Provinciam quoque cum
ingenti exercitu armatus penetravit. Sed vires hostium exag-
gerant; triremium, omnisque generis navigiorum numerum;
milites, atque in iis prætorianos, qui prima militiæ rudimen-
ta pueri acceperunt; equites, bellicos apparatus, ingentem argen-
ti vim. Numero certe, ac virium magnitudine præpotente cum
hoste nobis dimicandum est. At si summam earum rerum, quæ
a fœderatis in bellum conferendæ sunt, contrabamus, non in-
feriores, superiores fortasse hostibus inveniemur. Verumtamen
navigiorum numero, pecunia præstent: rerumne maritarum
peritia, ac virtute cum fœderatis erunt conferendi? quibus si
multitudinem demas, solidam quoque virtutem, ac fastum dem-
pseris. Qua enim in re adeo pollent, ut palmam nostris præ-
ripere audeant? Ducibusne? munitis oppidis, atque arcibus?
militari scientia, aut prudentia, in qua non minus bello,
quam pace excellere necesse est? Hæc nostris adeo suppetunt,
ut parva manu ingentes hostium catervas vincere, ac debella-
re possint. Quid, quod undique tota non modo Italia, sed uni-
versa fere Europa eximii duces, & rerum gestarum gloria in-
signes in voluntariam militiam se nomina daturos profitentur,
augustumque Crucis vexillum vestris auspiciis subsequuturos?
Tot, ac tam præclaras gerendarum rerum opportunitates ii
proterant, & corrumpunt, qui, fœdere relicto, dubiam pacem
sectantur; quos nec fides, nec Principum summo studio expe-
cita societas, nec prævalido conatu, ac prope immensis sumpti-
bus coactæ vires commovent; qui iniquam pacem justo bello*